

& Filium suum, JESUM CHRISTUM, Mediatorem, atque Redemptorem, constituit, qui quæreret & salvaret, quod perierat. Vidimus supra profundissimam Adami, primi hominis, miseriam. Abyssus Illa perditionis Impenetrabilis erat. Facebat ille, & cum eo totum genus humanum, in suo sanguine pollutum, conculcatum, perditum penitus. Nemo erat, qui commiseratione motus ipsum sublevaret. Ezech. 16. v. 4. 5. 6. Nullo modo poterat fratrem quisquam redimere, nec DEO redempturam ejus dare. Adeo pretiosa & cara est animæ redemptio, ut deficiat quivis in seculum Psal. 49. v. 8. 9. Solus Deus, misericordissimus pater, respexit miserum, eiq; ex Immensâ, inestimabili gratia succurrit, ut exclamandum hic primò omnium sit, **O wie hat GOTT die Leute so lieb** / certè diligit homines. Deut. 33. v. 3. Ex te perditio tua, o homo, in DEO salus tua. Ose. 13. 9. Ille transiens & videns te deperditum dixit tibi, vive in sanguine tuo Ezech. 16. 5. Ille cum non essemus ex gratiâ dedit, ut essemus, cumq; nobis malè esset, ex gratiâ effecit, ut benè esse posset. Ipse ut velimus, operatur incipiens, & volentibus cooperatur perficiens, ut accuratè loquitur Augustin. lib. de Grat. & liber. arbitrio cap. 17. Ac primò quidem promisit homini semen mulieris, quod conterat eaput serpentis. Gen. 3. 15. quod destruat opera Satanæ 1. Job. 3. v. 8. & ex ejus potestate homines liberet. Heb. 2. v. 14. 15. quodque maledictum legis tollat. Galat. 3. cap. 4. Nimirum ut absolveremur ab omnibus, à quibus per legem non poteramus absolvi Actor. 13. v. 38. 39. Quod lex præstare non poterat, quoniam infirmabatur per carnem, id DEUS proprio filio misso sub specie Carnis peccato obnoxia præstitit, & de peccato condemnavit peccatum per carnem Rom. 8. 3. Unus DEUS, unus etiam Mediator DEI & hominum, homo CHRISTUS JESUS. Qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus 1. Tim. 2. 5. 6. Venit enim Filius hominis, quærere & servare, quod perierat Luc. 9. v. 56. non venit ad perdendum animas hominum, sed ad servandum Luc. 19. 16. Hec dicit Dominus: Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas: Quod perierat, requiram: & quod abjectum erat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo; & quod pingve & forte, custodiam, & pascam illas in judicio Ezech. 34. v. 11. 12.

IV. Decre-